





*25.* *G. St. num. 39. 5*  
DISSERTATIO IURIDICA  
DE  
**PRAECEPTIS POLITIAE** *21*  
**LEGIBVS IVSTITIAE** *1766, 2*  
NON ANTEPONENDIS  
QVAM

*29*  
IN HONOREM  
FESTI DIEI NATALITHI  
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI  
DOMINI

**GVILIELMI V**

ARAVS. ET NASSAV. PRINCIPIS, REL.  
RECTORIS ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMI

VIII ID V V M M A R T I I  
CVNCTIS PLAVDENTIBVS CELEBRANDI

P R A E S E S  
**IO. HEINR. EBERHARD**  
I. V. L. ET L. P. SOCIETATIS  
PRINCIP. ANHALT. THEVTONICAE  
MEMBRVM HONORARIUM

ET  
R E S P O N D E N S  
**PHILIPPVS PETRVS CONRADI**  
HERBORNA - NASSAVICVS IURIVM CVLTOR  
AD DIEM M A R T I I C I C C I C L X V I  
EXAMINI PUBLICO SUBIICIVNT.

HERBORNAE LITTERIS REGELINIANI



PRAECEPTIS LONITIAE

LICETUS FAVELLAER

NON ANTICONDIDIT

Q. HORATIVS F. L. IV, Od. XI,  
in diem natalem MOECENATIS :

Ridet argento domus : ara , castis  
Vincta verbenis , avet immolato  
Spargier agno .  
Cuncta festinat manus , huc et illuc  
Cursitant mistae pueris puellae :  
Sordidum flammæ trepidant rotantes  
Vertice fumum .  
Ut tamen noris , quibus advoceris  
Gaudiis : IDVS TIBI SYNT AGENDAE —



SERENISSIMO, CELSISIMO  
PRINCIPI AC DOMINO  
DOMINO  
**GVILIELMO V**  
ARAVSIONIS ET NASSAVIAE  
PRINCIPI  
RELIQVA  
FOEDERATI BELGII GVERNATORI  
HER EDITARIO  
IMPERATORI TERRA MARIQUE  
SVPREMO  
RECTORI ACADEMIAE NASSAVICAE  
MAGNIFICENTISSIMO  
Patriae Patri  
IMPERIVM  
CVM NATALIS EIVSEM FELICISSIME  
DENVO  
AD FVLGET  
SVSCIPIENTI  
DOMINO SVO CLEMENTISSIMO

QVALECVNQVE HOC SPECIMEN  
ACADEMICVM  
EA  
QVA DECECT  
PIETATE ATQVE DEVOTIONE  
VT  
**TANTI PRINCIPIS**  
GRATIAE  
SE  
COMMENDET  
CVM VOTO ARDENTISSIMO  
AVSPICATISSIMI IMPERII  
CONSECRAT  
PATRIAE PATRI  
IMPERIUM  
CIVIS ET CLIENS SUBIECTISSIMVS  
PHILIPPVS PETRVS CONRADI.



## CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

**C**onflictus iustitiae ac politiae, § I. Ratio eiusdem probe est perpendenda, § II. Praetextu politiae minus iusta interdum defendantur, § III. Necesarias definitionis politiae, § IV. Quid nobis sit politia. Cel. D A R I E S propositiones earundemque perlustratio, § V. Necessaria et utilia vita humanae, quatenus circa eorum acquisitionem lex est ferenda, spectant ad politiam, § VI et VII. Politia ad bonum commune, § IX, et ad ius privatorum quae situm accommodata, § IX, X, XI, XII. Lex politiae iustitiam non vincit, § XIII et XIV, quanquam bonum commune priuato sit praferendum, § XVI. Felicitas reipublicas est *suis* politiae et *lex suprema* iustitiae, § XVI. Litem super iure quaestio exortam iustitia definit, § XVII et XVIII. Bonum commune obiectum tam iustitiae quam politiae diversa est relatione, § XIX. Per multa inde fluunt confessoria, § XX. Causa ex acquirente decidenda non est politiae, § XXI: nec tunc, si cives bonis privatuntur, § XXII. Si dubia res est, causa iustitiae praefumitur, § XXIII, et favor aliquis illi praestatur, § XXIV. Damnum civibus est resarcendum, § XXV.

### § I.

**L**ege ut applicatu generatim sunt difficiles; ira et ex regulis politiae lites componere, nullus, qui iurisprudentiam, quae practica vocatur, unquam exactius rimatus est, arduam rem putare nequit. Conflictus, qui iustitiam inter et politiam reperitur, meminisse sufficiat! Tantis ille est involutus tricis, ut viris celeberrimi,

A

mis,

## II

## DISSERTATIO IVRIDICA.

mis, illum sub incudem vocare, placuerit. Qui meditato-  
nes suas peculiaribus exposuerunt scriptis, hic laudare conten-  
ti, inaugurem cl. GEORGII CHRISTOPHORI SCHREIBER dissertationem,  
(a) KAROLI OTTONIS RECHENBERG programma (b)  
et perilluftris GEORGII IOACH. DRIES, Magni Borussorum Re-  
gis consiliarii intimi et professoris Francofurtensis celeberrimi,  
commentationem (c) tantummodo nominamus.

## § II.

Eruditis tractatum Schreiberianum, sane eleganter et  
acute conscriptum, non displicuisse, constat. *Principia* tamen,  
quae, si iurisprudentia atque politia easdem tradere regulas non  
videntur, duci nobis esse debent, haud perspicue auctorem  
illum tradidisse, nec id eiusdem propositum desiderasse, arbit-  
ramur. Quare non tam differentiae iuris et politiae, quam potius  
fontes conflictus duarum, quas diximus, disciplinarum et ea,  
quae perspicue nondum exposita reperiuntur: legem iustitiae  
politiam vincere: demonstraturis, consideranda nobis veniunt.

## § III.

Praetextu nempe politiae cauſarum et ordinationum iura  
saepissime privatorum non attenduntur, appellations denegantur  
et sacrum illud, communis reipublicae felicitas, non raro  
laesiorum ratio esse debet. Ac si quid iudicare valemus, omnis  
controversiae principium ex eo: praecepta politiae legibus iusti-  
tiae

(a) de cauſarum politiae et earum, quae iustitiae dicuntur, conflictu et dif-  
ferentia. Göttinga, 1739.

(b) de politiae et iurisdictionis limitibus. Lipsiae 1739, fol. et Göttingae  
una cum GEORGII C. SCHREIBER tract. editum 1762, 4.

(c) de differentiis iuris atque politiae, que vulgo die Polizei dicitur. --  
Francof. ad V. 1763, 4. Addas omnino illuftris DAVID. GEORG.  
STRUBEN acutissimum tractatum, qui inscribitur: gründlicher Unterricht  
von Regierungs- und Justizsachen. Hildesh. 1733, 4.

tiae non esse anteponenda : huiusque propositionis veritas inde deducitur: cum in memoriam revocamus atque demonstramus: tam politiae FINEM quam iustitiae LEGEM supremam esse jactum reipublicae communem.

## § IV.

Sistamus ante omnia politiae definitionem ! Risu quidem eum , qui centum paginas , verborum , in themate eruendo, occurrentium , descriptioni indeque fluentibus distinctionibus destinans, ad discussionem quaestio[n]is cardinalis paucis tandem se accingit pagellis, excipimus. Nec, permultas definitiones scholis tantum gratas atque utiles in foro esse irridendas , diffitemur. Verum quicunque recordatur : politiam definiendo esse difficillimam: (d) vario illam a doctoribus describi modo et inde diiudicandum esse: 1) qua ratione illa a iustitia discernatur: 2) causae politiae determinentur: 3) eam non vincere iustitiam, adeoque omne fundamentum tractationis nostrae probari possit ; tandem non unum idemque esse : causas politiae enumerare et ex vocabuli definitione regulas certas deducere: is circa dubium iustum expostulabit definitionem.

Aliorum tamen meditationes non taxamus. Sit sius cuique honoris! Cui plures de politia sententias nosse volupe est, audeat quosvis, qui rem politicam exponere studuerunt, et praesertim Schreiberianum tractatum, ubi aliorum opinione restringuntur.

## A 2

## § V.

(d) Sane, quid proprie dicatur politie, celeberrimi et quam acutissimi viri perfructi sunt. Et rem diiudicatu difficultem nemo non vider. Is, qui alterum deridet ipse ab aliis eluditur. CHRISTIANVS TRUMBACH in diff. inaug. de non recipienda appellatione in causis politiae et quae ad formam figuramque provinciae pertinent &c. Marburgi 1763, cap. VIII, § 54, de imagno iureconsulto, AVGUSTINO A LEYSER, ita loquitur: CHRISTIANVM THOMASIVM, cetera acute cernentem. in uramque partem se vorantem ridet, qui ridens tamen alios ipse caecuit. Quare forsitan politia secundum dubia a laudato AVG. A LEYSER sp. 684. m. 34. volum. X, propofita, vt id de insignibus cel. IO. PAVLVS REINHARD in der vollständigen Einleitung zur Wappenkunst, Nürnberg. 1747, 8, cap. I § 5 not. I, contendit, plane non erit definienda.

## § V.

Clarissimus autem SCHREIBER (f) et ab eo laudatus CHRISTIANVS THOMASIVS, vir acutissimus, (g) recte iamiam monuerunt: nec ad sensum nativum politiae (h) primumque, nec ad ordinations provinciales, quippe quae profecto ad caussas politiae res, quae sunt iustitiae, hasque ad illas referunt, sed ad sensum modernum seu usum loquendi esse resipiciendum. Quapropter nobis politia (i) est scientia, quae determinat leges in acquirendis necessariis vitae humanae et utilibus, ad bonum reipublicae et privatorum ius quoctum accommodatas. Acquisitio autem conservationem: necessaria securitatem et utilia communitatem decusque sub se comprehendunt. (k) Tria itaque poli-

(f) § V not. I pag. 14 diff. cit.

(g) in den Anmerkungen über Dr. MELCHIOR VON OSSEN Testament, 4. 1717 pag. 503.

(h) Sic enim a greco vocabulo πόλις, πολιτεία derivatum regimen civitatis generatim denotare, optime manuerunt C. SCHREIBER l. c. § I p. 2 et perillustris DARIES l. c. p. 4.

(i) Nempe secundum strictiorum significatum. De latiori vid. SCHREIBER l. c. § H, et § antec. nec non vir illustris, Marburgensem antecessor celeberrimus, IO. ANDREAS HOEMANN in der Deutschen Reichs - Praxis Th. III Francos. 1765, 8 praefat. § I, ac celeberrimi IO. HEINR. GOTTE, de ISTI Grandzäze der Polizeivissenschaft, Gött. 1766, 8 § II p. 4. et de strictissimo sensu laudatus HOFMANN in dem ummagazischen Entwurf von dem Umfange des Polizeivwesens &c. Marb. 1765 4, § II p. 6. ubi: *Im genauesten Verstände setzt man gemüthlich die Polizei drauf, was in den Städten dazu gerechnet wird, als die Aufsicht über die Menschen, Gilden, Gesellschaften &c.*

(k) Viri perillustris, celeberrimi, qualis ab omnibus cognoscitur, philosophi, cui, ob eiusdem merita prudentissimus Rex tam insigne manus conculit, IOACH. GEORGII DARIES sententiam, in memorata comminatione expositam, hic enarrare lubet. Putat nimurum via magnus, l. c. pag. 5: (1) politiam non securitatem sed utilitatem solimmodo spectare: (2) eaque propter media coactiva, ac, (3) eadem ex caussa, poenas, quae ad committendum movent, non perficere finem politiae, hisque in terminis ferre omne latiare inter politiam et iuniorum prudentiam discrimen. Quid si autem, pace tanti viri, quedam monere nobis licuerit, sicut sequentia!

Ad

politiae insunt criteria. 1) Lex in acquirendis necessariis vitae humanae et utilibus servanda: 2) secundum reipublicae bonum et 3) iura privatorum quæsita accommodata.

## § VI.

Primum, quod si quis negaret, aliam, quam quæ causarum, quas doctores politiae vindicarunt, sit enumeratio ne, nemo iure a nobis exigit probationem. (Conferatur in-

A 3 terim

Ad 1) nos fere, quid vir excellentissimus per securitatem intelligit, ignorare, fateremur, nisi mentem eiusdem vel ex antecedentibus, ubi securitatem ut finem civitatis primarium recte considerat, vel ex subsequentibus, si HYGONIS GROTTI verbis utitur, et ea, quæ iurius friendi causa necessaria, ad iurisprudentiam referit, cognoscere possemus. Quare non securitatem solam contra vim hominum externam, sed omnem securitatem intelligit: id quod optime adhuc ex aliis viis eiusdem scriptis, ut *institutio nibus iurisprudentiae universæ* ed. 1757 pag. 387 § 655 &c. quas, magno cum delectamento, in docendis legibus naturalibus, ducem adhibemus, cognosci potest. Quae si ita se habent, viro doctissimo usum loquendi indubitatissimum, quo ad politiam omnino cura incendorum, sanctimonia viarum et locorum publicorum &c. ab eruditis refertur, in mentem non venire, miraram. Vid. SCHNEIDER pag. 14 § V, RICHTENBERG pag. 97 ill. HOFMANN *unmag. Etatu*, p. II § II et cl. de IUSTI, l. c. p. 269-271. Secundum: nulla nempe media coactiva finem politiae perficere: interdum concedimus. Sed, ut paucis qualcumque nostram expomamus sententiam, ipsa exempla a perillustri auctore, demonstrandæ sua propositionis causa, adducta, omnino admittere media coactiva, offendit sumus. Quis negare poterit: numerum civium augeri, si mediis coactivis uitetur ad prohibendos concubitus praematuros, illegitimos &c. Annon cives laboriosiores efficiuntur, si poena in negligentiam statuta, agros colere coguntur, &c.? Annon mercatura magna et copiosa producuntur, dum cives, qua occaſione praediorum culturæ &c. producantur, ad certas fabricas v. gr. lavae, ferri &c. conservare, compelluntur? &c. &c. Quas omnia, si caeteras politiae perlungare causas, volupte esset, luculentius adhuc exponi possent. Tandem quod tertiam viri celeberrimi attinet propositionem: ea ex ante dictis, ubi mentionem poenarum ad committendum moventium fecimus, dijudicanda erit, cum duas istas conclusiones tam arte coherent, ut simul refutari possint. Si, media coactiva admitti, probavimus, poenas ad committendum moventes locum habere, parlam est.

terim not. (k) § praec.) Sic autem doctissimus RECHENBERG  
 (l) conservationi vitae: cultus divini externi obseruantiam, sa-  
 nitatis curam, alimentorum salubritatem &c. securitati: morum  
 integratatem, curam ludorum &c. commoditati: commercio-  
 rum et artium fovendarum praefidium, ponderum et mensura-  
 rum aestimationem &c. decori: aedificiorum, laetitiae publi-  
 cae modum &c. annumerat. IO. ANDR. HOFMANN, vir illustris,  
 (m) quem honoris caufsa nomine, huc refert: die öffentliche  
 Rube und Sicherheit, die Gesundheit, die Lebensmittel - - die  
 Wirtshäuser - - die Beforgung der öffentlichen Strasen, der Brük-  
 ken, den Schutz der Religion, die Ehrbarkeit, gute Zucht und  
 Ordnung, die Kleider-Traebt, das Schmaussen, die Ueppigkeit zu  
 bezähmen, die Beförderung der Handelschaft und des Gewerbes - -  
 das Handmerckswesen, die Verbietung der Monopolien &c. &c.  
 Cur autem cl. SCHREIBER (n) abolitionem molendinorum  
 bannariorum, mendicorum peregrinorum expulsionem &c. ad  
 politiam, strictioni sensu sumtam, referre non conetur, ideo-  
 que generosissimi LUDOVICI SCHENK de WINTERSTAEDT senten-  
 tiam (o) reiiciat, nulla nobis appetet ratio.

## § VII.

Non necessaria solum et utilia ad politiam spectare; sed,  
 banc praesertim determinare LEGEM, quae in illis acquirendis  
 et conservandis sit tenenda, affirmavimus: quia politia non  
 ipsam acquisitionem optimumque hanc perficiendi modum, sed  
 normam potius, secundum quam fieri debet acquisitio, docet.

## § VIII.

(l) l. c. pag. 97.

(m) in der Reichspraxis l. c. § III nec non unmissig. Entwurf l. d. § V.

(n) l. c. § V not. 2.

(o) in diff. de felicitate subiectorum Elector, Brunsuicensium ac Luneburg.  
 Cap. III § 4.

## § IIX.

*Lex politiae porro ad bonum commune est accommodanda.*  
 Omnes quidem civium actiones eo tendere non nequeunt, ut tandem felicitatem promoveant communem. Ait 1) politiae finis ille audit, qui in acquirendis necessariis ac utilibus bonum commune *primario* spectat. Ab eruditis insuper 2) certus quaslibet veritates tractandi modus, quem disciplinam vocant, est assutus. Nam si quis, quaeſo! secundum definitionis criterium non obſervaret: ratio, qua oeconomia specialis (p) a politia diſtinguatur, non tam clare exponi poffit, cum illa pariter acquirenda necessaria et utilia doceat. Sic enim meritiſimus FRIEDERICVS VLRICVS STISSLER: (q) die Wirtschaft überbaut ist eine Wiffenſchaft, welche die Klugheit lebret, wie man Nahrungs-Gefchäfte treiben und also gerecht und klüglich Nahrungsmittel so wohl erlangen und einnehmen als auch klüglich erhalten, ausgeben und anwenden foll. Quam ob cauſam vir ſumamus, Göttingenis antecellor celeberrimus, 10, STEPH. PÜTTER, politiam ſpecialiorem, negative definiens, oprime dixit: (r) illam conſttere in eo, ne quid in posterum ex parte eorum, quae ſub imperio civili continentur, adverſus utilitatem publicam fiat: cui tamen iuri et remedii adhaerent qualiaſtunque ad hunc finem tendentia --. Si quis ea, quae § antece affirmare nulli dubitamus, revocat et cum illis modo dicta comparat: non immrito ſententiam cel. GEORGII HEINR. ZANK (s) approbabit noſrasque poſitiones corroboratas habebit. Ait ille: die -- Polizeiwiffenſchaft -- lebret durch Anſtaſten die Wirtschaftsgeſchäfte

(p) Generalis enim cum politia, in ſenu latiori ſumta, fere unam idemque eft.

(q) in der Einleitung zur Landwirtschaft und Polizei der Deutschen, Ien, et Lipsiae 1746, 8 Vorbericht, erste Abtheilung § IV p. 4.

(r) In elementis iuri publici Germanici, Göt. 1760 & 393 p. 435 et eleganti libello: dem kurzen Begriff des Deutschen Staatsrechts, Göt., 1764, 8, p. 194 Hauptb. III § 185.

(s) In not. b. ad STISSLERI Einleitung cit.

*schaffte eines Landes, einer Stadt, eines Amtes zu ihrem Zweck einzurichten und zu befördern.*

## § IX.

Tandem *politia ad ius quaeſitum privatorum accomodata esse illige adverfa non praecipere debet*. Haecce propositio (A) non vera tantum (B) aliusque iamiam cognita; sed (C) et ad definitionem politiae pertinet. Veritatem ita demonstro.

I) Iustitiae finem requiri: ut ius suum cuique tribuat: docet Imperator IVSTINIANVS. (\*) Ut igitur ius quaeſitum quique conſequatur, iustitiae lex curat. Quare, si politia ad ius tertii quaeſitum non deberet esse accomodata, caſus obvenientes unice ex principiis politiae, non autem ex regulis iustitiae, esse diiudicandos, omnino sequeretur. Quod cum foret iniustum atque absurdum; veritas propositionis est demonstrata. Nec

II) falsa visione movetur, qui ſequentem in modum ratiocinatur. Ius videlicet privatorum et ius, quod reipublicae debetur, ut totum et pars, conſideretur necesse est: quia, si bona privatorum pereunt, ſtatus reipublicae deterior redditur. Quare si ius privatorum quaeſitum tuemur, bonum promovemus commune.

## § X.

Quod posteriorem attinet demonstrationem, forſan obiici: bonum reipublicae, ex ipſa noſtra confeſſione, eſſe fundamen tum, cur ius privatū quaeſitum tribuat: quoties ideo maiorem civitatis felicitatem, non attento iure singulari, conſequi poſſemus, toties ius quaeſitum civibus tribuat, neuti quā requiri. Dicta quaeſito tua, iustis obſervatis limitibus, fuit vera quidem: ſed, tunc ramen inde non cauſas politiae ſed iustitiae oriſi, infra magis elucebit.

(\*) pr. I. de I. et I.

§ XI.

## § XI.

Nostram approbat sententiam celeberrimus KAROLVS OTTO RECHENBERG, (t) laudatus GEORG. CHRISTOPH. SCHREIBER: (u) illustris et meritissimus Göttingensium antecessor IO. HEINR. de SELCHOW, (v) perillustris Liber Baro IO. VLR. de CRAMER, Camerae Iud. Imper. alesse dignissimus, (w) excellensissimus DAV. GEORG. STRVBE, (x) et DAVID MEVIVS. (y) Ita et Cameram Imperii iudicare permulti docent casus. Videatur perill. de CRAMER (z).

## § XII.

Dictam veritatem autem definitioni esse inferendam ita evincimus. Aliam ob caussam non definimus, quam ut veram definiti naturam cognoscamus, iustumque notionem cum aliis communicemus. Ita autem propositione in definitione politiae neglecta; maiorem regulis politiae potestatem tribui hancque latiorem patere, ac revera ex notione illius fluit, nullo nobis negotio persuaderemus.

## § XIII.

Hicce ita perspectis atque demonstratis, veritas thematis nostri citra pulveris iactum indubitate redditur. Politia enim iuri privatorum quaeſito non potest non respondere. (§ X, XI,

B XII,

(t) l. c. p. 98.

(u) l. d. sect. III § 4.

(v) in den Anfangsgründen des Braunschweig-Lüneburgischen Privatrechtes, Gott. 1760, 8, pag 429 § 606.

(w) in den Wezlarschen Nebenfunden P. I 1755, 8, p. 88 - 118.

(x) l. c. pag. 178.

(y) in decis. P. III dec. 154.

(z) l. c. passim.

XII et XIII.) Cum autem leges iustitiae sint illae, quae cuique tribunt ius quaesitum; (§ X, I.) omnes, iure super illo lite mota, regulas, quae occasione caussarum iustitiae veniunt observandae, v. c. ratione appellationis, iudicis competentis, favoris rei &c., non quae ex principiis politiae fluunt, esse attendendas, sequitur.

## § XIV.

Si omnes regulae, in caussis iustitiae observari solitae, ubi ius quaesitum privatorum litis efficit obiectum, attendi debent: (§ XIII) et iustitiae omnes illae qualitates infunti, (X, I.) tunc ergo iustitia praevaleret; principia politiae legibus iustitiae non esse anteponenda: quisque exploratum habet.

## § XV.

Nunc demum obiectioni, quae sane aliquius momenti simulque falsarum saepissime conclusionum ratio est, obviam ibimus. Neminem utpote, omnes iamiam cruditos, ecce! acclamatuos videntes, aiunt, dubitare: quin bonum reipublicae verum magnumque iuri tertii quaesito certis praferendum sit casibus. Id quod nec nos negamus. Quare politia omnino superior esse debeat iustitia. Et obiectio haec neutiquam evanescit, si quis forsan, certis ictis casibus, exceptione a regula admissa, responderet: subditis nihilo minus clamnum, e. gr. per pretii restitutionem &c. esse resarcendum: siquidem tunc, non obstante iure quaesito, caussa politiae imminaret, eiusdem omnes qualitates applicandae, appellatioes denegandae, et iudices politiae adeundi essent. Quam ob causam solidorem, ni fallimur, responsionem periclitaturi sumus.

## § XVI.

Quisnam nempe inficias iverit, iustitiae legem ultimam

esse salutem reipublicae? Quis, quaeso! probationem expostularer propositionis, quam in omnibus iuris compendiosis et systematibus ante oculos habemus? Iustitiae notio id insuper desiderat, cum *iustum* nunquam nominandum fuerit, quod reipublicae bono contradicit. Adsunt quasi duo litigantes: res publica et privatus. Illi incumbit probatio: felicitatem communem veram magnamque iuri privato obstarere: et hic tunc caussa cadit.

### § XVII.

Lex suprema iustitiae est salus communis, (§ XVI.) quae simul est finis politiae. (§ VI.) Ex eo itaque, quod, istius boni communis gratia, res certa sit praedita qualitate, eam ad politiam, plane non ad iustitiam, esse referendam, neutiquam concludendum sed dubium relinquendum est, ad quamnam scientiam sit referenda.

### § XIX.

Si caussa, quae respicit felicitatem communem, vel ad potiam vel ad iustitiam pertinere, potest; (§ XVII) illam alterum tantum annumerantes disciplinae, novis ex circumstantiis rationem aliquam colligere nos oportet. Ecce! ius quae situm quo iustitiam dignoscimus, (§ IX.) dirimit controversiam et caussam super illo actitaram iustitiae vindicat.

### § XIX.

Sed nunc non immerito quaeritur: utrum bonum commune eadem, an diversa relatione obiectum tam politiae sit quam iustitiae? nostram sententiam sequentem esse scias. Salus reipublicae 1) est finis politiae: lex autem *suprema* iustitiae: adeoque 2) politia docet leges, quae ratione modi, bonum commune promoventis, sunt obliterandae: iustitia autem il-

B 2 1001 2 80 lam

Iam felicitatem tunc demum perpendit, si illam cum iure singulorum quaesito pugnare observat. (conf. § XVI supra) <sup>3)</sup> Ibi bonum commune obiectum primarium, hic secundarium constituit. <sup>4)</sup> Politia, quanquam non solum curat, ut bonum reipublicae promoveatur, sed etiam impedit, quo minus illi contrarium quid accidat et singulorum actiones secundum bonum illud commune dirigere potest; magis tamen, quae sunt arbitria, removere studet, iustitia fines iuris quaesiti non egrediente. (Nec tamen iura solummodo imperfecta ad politiam nos referre, ex § V not. m. patet.) <sup>5)</sup> Politiae non vindicantur, quae contra salutem communem commissa sunt: sed, eiusmodi actions a iustitia afficiuntur poena. Conferantur illustris 10.  
STEPH. PÜTTER (a) et cl. KAR. OTTO RECHENBERG (b).

## § XX.

Veritates, quas hactenus defendimus, certum sunt fundatum, ex quo plura deducuntur consecratio. Inde, causam politiae, simul ac de iure quaesito litigatur, a iustitia diuidicandam, appellationes esse admittendas, fluit, et quae sunt id genus alia. Quare si subditi certo privilegio in caussis politiae fruuntur, e. gr. cerevisiam coquendi, commercium quoddam faciendi, nemo, cum de privilegio illo aliquid coram iudice agitur, caussam putare potest politiae. Huc referas omnino ius, quod ratione collegiorum opificum vel constitutorum vel minus aliquis adeptus est. Inspicias casum, cuius vir perillistris, Marburgensis academiae procancellarius meritissimus, IO. GEORG. ESTOR, mentionem fecit. (c) Hancce tamen doctrinam a iudicibus saepius non attendi, experti sumus.

## § XXI.

(a) l. c. § 393.

(b) l. c. p. 99.

(c) In den Anfangsgründen des gemeinen und Reichsprosesse, 1752, 4 pag. 298, § 1080, h.

## § XXI.

*Nec, caussam politiae illico adesse, praesumitur, quoties alter civium ob aequitatem aliquid uris quaesiti amittit, cum et iudex iustitiae acquitatem attendat.*

Civis N. areae, in dominio eiusdem existenti, aedificium impositurus, aedes vicini in aream eius declinare, ipsique trium pedum adimere spatium, observat. Imperat mandatum de aedificio erigendo. Vicinus, se, absque magno domus sua detrimento, insuli iudicis satisfacere non posse, regerit. Manet haecce caussa iustitiae.

## § XXII.

*Si cives bonis quibusdam, ob bonum reipublicae, sunt privandi, iudex competens est iudex iustitiae. Hic enim, num ius quae- situm subditus adimi possit, ante omnia dijudicare debet.*

Cive N. lapsam domum reaedificatu, illi insurgunt, quibus cura incendiorum incumbit, petentes: ne aedificaturus spatium quoddam obstruat, quo, si incendi periculum adest, hoc extincturi intimas aedium partes adire possunt. Cum autem civis N. in iure suo quaesito se fundet, adest omnino caussa iustitiae.

## § XXIII.

*Anceps si adest casus, caussa, in iudicium deducta, iustitiae praesumitur. Quum enim, lite super re quadam exorta, id agitur: ut ius quisque suum consequatur; ante omnia saltem inquirendum erit; num de iure tertii quaestio moveatur?*

## § XXIV.

*Favor aliquis, si haefstamus, caussae iustitiae magis quam politiae est praefundus. Iustitia enim praefertur politiae: (§ XIII et seqq.) haec ideo illi, si aliud non evincitur, locum cedit.*

B 3

Eadem

Eadem ex causa et pro iure legitime quaesito potius, quam pro commodo communis, iudici, cura ancipiti distracto, sententiam ferre, incumbit, quia ius singulorum, obiectum iustitiae primarium, salus reipublicae autem secundarium efficit. (§ XIX, n. 3.) Tunc tamen omnino felicitas illa communis, si aut probata et magni momenti est aut casus adest extraordinarius, ius privati vincit.

## § XXV

Inde porro concludimus: *damna, quae cives ob salutem civitatis ferunt, alio, si fieri potest, esse resarcienda modo.*

Sed pauca haec qualiacunque sufficiente consuetaria, et si per multa adhuc fuissent subiecta. Nemini nostram obtrudimus sententiam. Quanquam et nobis ipsis forsan blandiremus, si quaedam nova, quaedam, quae nondum ita perspicue ex principiis certis sunt demonstrata, a nobis in medium prolati esse, crederemus; contum tamen nostrum nullus reprehendet. Lites super propositionibus expostis non semel motae, incongrua, quae faepissime formantur, ratiocinia, nostram et de hac re exponere sententiam, occasionem nobis praebuerunt.




VIIIX

THESES



## THESES DEFENDENTIS.

- I) Leges naturales ne a Deo quidem mutari possunt.
- II) Omnes actiones in foro naturali aut proemio aut poena afficiuntur.
- III) Actio coacta, sive sit simplex sive composita, destituta est moralitatem.
- IV) Lev. XVIII et XX personis potius ibi enumeratis, quam per computationem graduum cognitis, matrimonium est interdictum.
- V) Dantur actiones, secundum ius naturae indiferentes.
- VI) Consuetudo legi scriptae, etiam priori, derogat.
- VII) Mortis caussa capio non semper est irrevocabilis.
- VIII) Aedificia ministris, qui vel ecclesiae vel spatiis reipublicae praesunt, ut illa, fungentes officio, inhabitent, non tanquam usufructuariis, concessa praesumuntur.
- IX) Pro donatione mortis caussa magis quam pro ea, quae inter vivos fit, militat praesumtio.
- X) Aliae adhuc, praeter adulterii crimen, dantur iustiae diuortii caussae.
- XI) Matrimonium, cuius finis liberorum procreatio non esse debet, legitimum nominare, pace dissentientium, est corporis humani structurae, contraria statuere.



50

■ ■ ■

Sieh ! Pallas will DICH heut mit einem Kranz beschenken,  
Und durch der Weisheit Macht nach höhern Dingen lenken.  
DU kommst von dem Parnas mit stolzem Schritt gegangen,  
So wie die Siegenden stolz mit der Beute prangen.  
Glück DIR! ich will den Wunsch vor DEINEN Augen legen;  
GOTT schenke DIR hinfort in Ueberfluss den Segen,  
Der Herrscher aller Welt beglücke DEINEN Fleiß,  
Und richte DEIN Bemühn zu seines Namens Preis.

Hiermit will sich in die beständige Freundschaft  
des Herrn Vertheidigers dieser Streitschrift  
empfehlen

D E S S E N

ergebenster Freund

Joh. Henrich Esler / I. V. St.  
von Altenbach aus dem Siegenischen  
Opp. ord.

=====


So oft das fromme Glück den Segen,  
So oft des Schicksals harte Hand  
Des Grames Lasten, auf uns legen;  
Wird Feind und Freund der Welt bekannt.  
Die Freundschaft -- dies sind achte Zeichen,  
Wird weder bei dem Glücke schwiegen,  
Noch in der Notth Verbündne fliehn.  
So sollen heut auch meine Pflichten  
Ihr Amt durch diesen Wunsch verrichten:  
GOTT segne, WERTHEMER ! DEIN Bemühn.

Dem Herrn Vertheidiger empfiehet sich

D E S S E N

glückwünschender Freund

F. A. L. Schmitt d. G. B.



X 2203495

Sb.

KD 17





G. II. num. 39. 21

25 DE  
PRAECEPTIS POLITIAE  
LEGIBVS IVSTITIAE  
NON ANTEPONENDIS  
QVAM

---

IN HONOREM  
FESTI DIEI NATALITHII

---

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI  
DOMINI  
**GVILLELMI V**

ARA VS. ET NASSAV. PRINCIPIS, REL.  
RECTORIS ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMI

---

VIII ID V V M M A R T I I  
CVNCTIS PLAVDENTIBVS CELEBRANDI

---

P R A E S E S  
**IO. HEINR. EBERHARD**  
I. V. L. ET L. P. SOCIETATIS  
PRINCIP. ANHALT. THEVTONICAE  
MEMBRVM HONORARIVM

ET  
R E S P O N D E N S  
**PHILIPPVS PETRVS CONRADI**  
HERBORNA - NASSAVICVS IVRIVM CVLTOR  
AD DIEM M A R T I I C I C C L X V I  
EXAMINI PVBLICO SVBIHVNT.

---

HERBORNAE LITTERIS REGELINIANO

